

Quæ vero censuræ sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti Nostris, aut Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus præter eas, quas recensuimus, latæ sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorūcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorūcumque Collegiorum, Congregationum, cœtuum locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quæ ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendи facultatem absolvendi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita, ac individua mentio facta fuerit: quæ vero privilegia aut facultates, sive a Prædecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Cœtui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari ejusvis speciei, etsi titulo peculiari prædicto, atque etiam speciali mentione dingo a quovis unquam tempore hac usque concessæ fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis vel non in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV. cap. VI. de Reform.* in quibuscumque censuris Apostolicæ Sedi hac Nostra Constitutione reservatis iis tantum exceptis, quas Eadem Apostolicæ Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quæ in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas quæ in eisdem factæ sunt ex anterioribus Constitutionibus Prædecessorum

nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtainere debere, ac reapse obtainere; sicque et non aliter in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicæ Sedis Nuntios; ac quosvis alios quacumque præminentia, ac potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam prætextu cujuslibet privilegii, aut consuetudinis inductæ vel inducendæ, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contingit attentari.

Non obstantibus præmissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceteris contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ Constitutionis, Ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus Octobris Pontificatus nostri anno vigesimo quarto.

MARIUS Card. MATTEI, pro-datarius;

N., Card. PARACCIANI CLARELLI.

Visa de Curia

DOMINICUS BRUTI.

Loco † Plumbi.

I. Cugnoni.

**254.—B. Censuræ latæ sententiæ, quæ extra const. Apostolicæ Sedis adhuc in vigore sunt.**

I. Censuræ (et pœnæ) in const. Pii IX. *Romanus Pontifex* 5. Kal. Sept. 1873 ob intrusionem in Sedes episcopales latæ.—In ea S. Pont. abolet et annullat abusum in quibusdam regionibus inventum, quo Capitulum ecclesiæ cathedralis vacantis obsequens invitationi seu mandato supremæ civilis potestatis, ex S. Sedis concessione seu privilegio jure gaudentis nominandi et præsentandi ad sedes Episcopales in suis ditionibus vacantes, concedit et transfert in talem nominatum et præsentatum ad eandem Ecclesiam illius curam, regimen et administrationem, eamque nominatus et præsentatus sub nomine Provisoris, Vicarii Generalis aliove nomine gerendam suscipit ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum de more faciendam, remoto proinde Vicario Capitulari, qui ex juris dispositione toto tempore vacationis ecclesiæ eam administrare et regere debet. *Addit dein pœnas:*

1. Canonicos et Dignitates, qui in nominatum et præsentatum curam ecclesiæ cathedralis ut supra concedere et transferre ausi fuerint, præter nullitatem prædictæ concessionis et translationis *excommunicationis* necnon privationis fructuum ecclesiasticorum beneficiorum quorūcumque, aliorumque reddituum ecclesiasticorum per eos obtentorum, similiter eo ipso incurris pœnis innodamus; . . . ipsarumque pœnarum absolutionem Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti *specialiter* reservamus.

2. In easdem pœnas *pariter* reservatas ipso facto incurrint nominati et præsentati ad vacantes ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a Dignitatibus et Canonicis ac illis, qui, deficientibus Capitolis, Vicarios deputant aut vacantes ecclesias legitime administrant, in eos peracta, necnon ii, qui præmissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem præstiterint, cuiusvis status, conditionis etc. fuerint.

3. Præterea nominatos et præsentatos jure, quod eis per nominationem et præsentationem forte quæsitum fuerit, decernimus eo ipso privatos.

4. Si vero aliqui ex prædictis Episcopali charactere sint insigniti, in pœnam suspensionis ab exercito Pontificalium et interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto, absque alia declaratione incident, S. Sedi *pariter* (i. e. *specialiter*) reservatam.

5. Insuper quæcumque a sic nominatis et præsentatis in administratione vacantium ecclesiarum intrusis fiant . . . , omnino nulla . . . nulliusque valoris esse et perpetuo fore . . . declaramus. (*Act. S. Sed. vii. pag. 401 seq.*)

II. Excommunicationi Rom. Pont. *simpliciter* reservatæ præter illos, quæ supra n. 253, § ii. enumerantur, subjacent:

a) Absolvere præsumentes ab excommunicatione speciali modo Rom. Pont. reservata, sine debita facultate, etiam quovis prætextu, modo non agatur de mortis articulo. (Cfr. n. 253, § i. in fine.)

b) Missionarii ecclesiastici tam sœculares quam regulares, qui per se vel per alios, quovis titulo aut forma, mercaturæ, licet semel tantum dant operam in Indiis orientalibus, in Japonia, vel in America sive Australi sive Septentrionali; item Superiores, qui delinquentes religiosos sibi subjectos, saltem per amotionem illorum a locis commissi criminis, non puniverint,—ita tamen ut ab excommunicatione hac, non solum in mortis articulo, sed et alias a quovis confessario absolvi possint, si lucra ex mercatura percepta et merces per locorum Ordinarios vel Vicarios apostolicos eorumve Vicarios generales aut Provincarios in causas pias, non tamen instituto delinquentium, reapse erogaverint. Ita juxta decret. S. C. S. Off. 4 Dec. 1872, ex const. *Ex debito Urbani VIII. et const. Sollicitudo Clementis IX.*—Cfr. *Act. S. Sed. vii. 317; Coll. Prop. n. 333–352 et supra n. 140.*

c) (Ex Conc. Trid.) Usurpare vel impedire præsumens quorūcumque beneficiorum et locorum piorum bona, jurisdictiones, jura etc., anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu hæc non integre restituerit, ac deinde a R. Pontifice absolutionem obtinuerit (Sess. xxii. cap. 11. *de Ref.*). Clericus, qui usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit, præter prædictam pœnam omnibus beneficiis privatus sit et ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum Ordinum execu-

tione, etiam post integrum satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio, suspendatur. (Ibid.)

III. Excommunicationem *Episcopo* reservatam incurunt laici mercimonium missarum contra prohibitionem S. C. C. 25 Maji 1893 exercentes. (*Act. S. Sed. xxvi. 56. 58.*) De clericis cfr. supra n. 111. a.

IV. Excommunicationem *nemini* reservatam ipso facto incurunt ex *Tridentino*:

a) Docere, prædicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumentes, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, sumptioni S. Communionis, etiam habita copia confessoris, non necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem, sed sufficere, si se contritos existiment. (Sess. xiii. *de Euch.* can. 11.)

b) Qui matrimonia *clandestina*, libero contrahentium consensu facta, vera et rata esse quamdiu Ecclesia ea irrita non facit, negant;—quique falso affirmant, matrimonia a filiis familiæ *sine consensu parentum* contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. (Sess. xxiv. cap. 1. *de Ref. Matr.*)

c) Raptore mulierum, eisque consilium, auxilium vel favorem præbentes (ibid. cap. 6).

d) Domini temporales vel magistratus jurisdictionem exercentes, qui quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogunt, quominus libere matrimonia contrahant (ibid. cap. 9).

e) Qui quomodocumque coegerint fœminam invitam, præterquam in casibus jure expressis,<sup>1</sup> ad *ingrediendum* monasterium vel ad *suscipiendum habitum* cujuscumque Religionis vel *ad emittendam professionem*; quique consilium, auxilium vel favorem dederint; aut qui scientes, eam non sponte ingredi monasterium aut habitum suscipere, aut professionem emittere,

<sup>1</sup> Hi ex cap. 18. et 19. (iii. 32.) sunt: 1. Si mulier postquam viri sui religiose professioni consensit, et ipsam continentiam vovit, suspicionem injiciat voti violandi; 2. si mulier adultera, post suam conversionem, a marito non amplius recipiatur; 3. si puella, educationis vel custodiæ causa, per aliquod tempus, donec nempe nuptui apta sit, invita constituatur in monasterio. (Marc. n. 1359.)

quoquomodo eidem actui vel præsentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint. Item ii, “qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem, *vel accipiendi* vel voti emitendi, quoquo modo, sine justa causa, impedierint.” (Sess. xxv. cap. 18. *de Regular et Monial.*)

f. Magistratus, qui adversus contradictores et violatores clausura Monialium, ad instantiam Episcopi, non præbet auxilium. (Ibid. cap. 5.)

V. *Ex Tridentino sequentes suspensiones aut nemini aut Episcopo reservatae* adhuc valent:

a) Episcopus Pontificalia in aliena diœcesi sine expressa Ordinarii loci licentia vel in personas eidem Ordinario non subjectas exercens suspensionem ab exercitio Pontificalium incurrit; sic ordinati vero ab executione ordinum sunt suspensi. (Trid. vi. cap. 5. *de Ref.*)

b) Suspensionem ab exercitio ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati incurrit Clericus, majores ordines suscipiens cum dimissoriis Capituli (vel Vicarii Capitularis) infra annum a die vacationis Sedis episcopalnis concessis; nisi arctatus fuerit ratione beneficii recepti vel recipiendi. (Trid. vii. cap. 10. *de Ref.*)

c) Ab exercitio Pontificalium per annum suspenditur Episcopus *titularis*, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ, absque sui proprii Prælati consensu aut litteris dimissoriis promovens ad primam tonsuram vel ad quosvis ordines. Taliter promoti vero ab executione ordinum sic susceptorum suspensi sunt, donec suo Prælato visum fuerit. (Trid. xiv. cap. 2. *de Ref.*) (Censura Ordinanti inficta non est reservata, nisi conveniat cum suspensione ii. const. *Apost. Sed. Romano* Pont. reservata. (Cfr. supra n. 253. § v. n. ii.)

d) Suspensionem a collatione Ordinum per annum incurrit Episcopus, subditum alienum *privilegio Apostolico munitum* vi cuius a quocumque Ordinario promoveri possit, ordinans absque ejus Ordinarii testimonio de illius probitate ac moribus.—Sic ordinatus vero suspensus est, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire. (Trid. xxiii. cap. 8. *de Ref.*) Dicitur: *privilegio Apost. munitum*. Nam ordinans absque tali privilegio sine

dimissoriis innodatur suspensione Papæ reservata, ut supra n. 253, § v. ad iii.

e) Suspensionem ab officio et beneficio per annum (non reservatam) incurrunt Abbates, Prælati exempti et Vicarii Capitulares, clericis sacerdotalibus non arctatis sub quocumque prætextu sede vacante concedentes, ut ab alio, quam a proprio Episcopo ordinentur. (Trid. xxiii. cap. 10. *de Ref.*) Ita ordinatus subjacet suspensioni ut supra sub b. Ordinans vero suspensioni Papæ reservatae ut n. 253. § v. ad iii.

f) Sacerdotes, qui (in loco ubi viget cap. *Tametsi*) absque licentia parochi proprii vel Episcopi sponsorum matrimonium conjungere aut benedicere ausi fuerint, tamdiu (ab officio sacerdotali) suspensi remanent, quamdiu ab Ordinario illius parochi non absolvantur. (Trid. xxiv. cap. 1. *de Ref. Matr.*)

g) Suspenduntur Episcopi concubinarii vel mulieres suspectas detinentes, si a Synodo provinciali admoniti, sese non emendaverint. (Trid. xxv. cap. 14. *de Ref.*)

h) Præfectæ monasteriorum vota solemnia emittentium, si de professione suarum novitiarum Episcopum ante mensem certiorem non reddiderint, incurrit suspensionem ab officio, quamdiu Episcopo videbitur. (Trid. xxv. cap. 17. *De Regularibus.*)

i) Clerici usurpationis bonorum ecclesiasticorum fabricatores vel consentientes—ut supra ii. c.

VI. Suspensio specialiter Summo Pontifici reservata, de qua supra i. ad 4.

VII. Ex Conc. Trid. ipso facto interdicuntur:

a. Metropolitani suffraganeos absentes ultra semestre, suffraganeus antiquior residens metropolitam ita absentem infra tres menses non denunciantes Romano Pontifici, eo ipso interdicuntur ab ingressu ecclesiæ. (Trid. vi. cap. 1. *de Ref.*)

b. Interdicuntur Capitulum (et Vicarius Capitularis), si infra annum Sedis vacantis, litteras dimissorias concedat Clerico non arctato ratione beneficii recepti vel recipiendi (Trid. vii. cap. 10. *de Ref.*) aut sine facultate a Sede Apostolica ad hoc obtenta.

VIII. Interdictum ab ingressu ecclesiæ Summo Pontifici specialiter reservatum. Cfr. hoc num. ad i. sub 4.

## APPENDIX VI.

### Decretum QUEMADMODUM S. C. Ep. & Reg. 17 Dec. 1890.

(Ap. Act. S. Sed. xxiii. 505.)

255.—Quia per hoc Decretum Episcopi speciales obligationes et facultates acquisierunt, id hic adjungendum esse putavi. In eo agitur

#### A. De ratione conscientiae.

I. "Sanctitas Sua (Leo XIII.) irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutiones piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictæ Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque etiam quam ajunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio injungit Moderatoribus ac Moderatricibus hujusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum, ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus præfatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorables.

II. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissimis, cujuscumque gradus et præ-eminentie sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent direkte aut indirecte, præcepto, consilio, timore, minis aut blanditiis ad hujus modi manifestationem conscientiae sibi peragendam; subditisque e converso præcipit, ut Superioribus majoribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audent; et, si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali, denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.